QUÆSTIO

THERAPEUTICA

AN

Epilepsiæ Mercurius Vitæ?

PROPOSITA

AB ILLUSTRISSIMO VIRO

D. D. ANTONIO DEIDIER

Regis Consiliario & Medico, necnon in Almâ Monspelienſium Medicorum Academiâ Chymiæ Professore Regio digniſſimo.

Quam Deo favente & auſpice Dei parâ Propugnabit in Auguſtiſſimo Monſpelienſis Apollinis Fano, Die menſis Februarii anno 1714. ab horâ octavâ ad Meridianam, THOMAS MARTIN Tolonenſis Apud Gallo-Provinciales, Artium Liberalium Magiſter & jamdudùm Medicinæ Studioſus; pro primâ Appollinari Laureâ conſequendâ.

MONSPELII,
Apud HONORATUM PECH, Regis, Univerſitatis, Cleri & Urbis, Typographum. 1714.

CLARISSIMO VIRO

D.D. J. COSTE

Doctori Medico Apud Aquisextanc

Peritissimo ac Felicissimo,

Practico celeberrimo,

Avunculo suo colendissimo,

D. D. D. C.

In æternum amoris & obsequii

Monumentum;

THOMAS MARTIN *Tolonensi*

QUÆSTIO THERAPEUTICA,

AN *Epilepsiæ Mercurius Vitæ?*

EPILEPSIA *est internus ille & periodicus capitis morbus, in quo intercipiuntur sensus, cùm externi tùm interni, totumque convellitur corpus, aut saltem non-nullæ corporis partes.* Etenim qui perfectâ tentatur Epilepsiâ, nec videt, nec audit, nec olfacit, nec gustat, compuncta membra non retrahit, nec ullam retinet post paroxysmum rerum in eo transactarum memoriam. Huic sensuum abolitioni numquam spasmus aut motus spasmodici non conjunguntur. Æger quippe riget convulsus, interdùm toto corpore, modò solis artubus, nunc capite. nunc palpebris ambabus; aut unicâ, solâ maxillâ inferiore, manu solâ, digito unico vel pluribus. Hæ partes

agitantur interdum motibus convulsivis, aut plures, aut unica; & identidem motus illi remittuntur, remanente convulsione. Et hæc fiunt diversimodè, & in eodem paroxysmo, & in variis. Paroxysmus recurrit, pro vario rerum non naturalium abusu, adeoque incertâ ut plurimùm periodo. Invadit subitò, cùm qui stabat æger, in terram decidat. Et hinc dicitur morbus ille *malum caducum*. Plerumque per se discutitur paroxysmus; auxiliis enim destitutus æger ita sæpe restituitur, ut perfectè sanum diceres.

Non possunt in Epilepsiâ sensus intercipi, nisi afficiatur cerebrum. Nec membra simul torqueri morbis convulsivis, nisi spiritus inordinatè ferantur ad musculos. Nec possunt illi spiritus inordinatè ferri ad musculos, nisi cerebrum inæqualiter afficiatur. Sed quinam est ille cerebri affectus? unde hujus affectûs inæqualitas? Expende quid in dissectis Epilecticorum cerebris fuerit observatum. Expende quid in Epilepticis viventibus observetur. Reperta est substantia cerebri sparsim obsita glandulis præternaturam genitis, ac præsertim in iis partibus in quas majori copiâ sanguis confluit, v. g. in sinu longitudinali, in sinubus lateralibus, & baseos cranii, in Choroïdeo plexu, aliisque cerebri partibus. Sunt autem hæ glandulæ vasa sanguifera, intricata & complicata, ultramodùm distenta, quæ varices in venis constituunt, in arteriis aneurismata.

Mulier quadraginta circiter annos nata, bis quotidiè correpta fuerat insultu Epileptico, per menses quindecim; auxilia imploravit. Perceptus est tumor scrophulosus suppuratus, supra sinistrum ejus supercilium. Interrogata ex quo tempore ipsi adnatus fuerat tumor ille, à quindecim mensibus respondit. Hinc suspicio mali. Apertus est tumor, reperta profunda ossis frontalis caries, quæ ad duram meningem pertingebat, & meninx puris cystide comprimebatur. Educto pure, mulier ab Epilepsiâ convaluit, fuitque per annum integrum sana. Dehinc renovatus tumor, & Epilepsia renovata, quæ tandem mulierem sustulit.

Miles, ictu sclopeti vulneratus in osse Coronali, incidit in Epilepsiam. Vulnus curatum est, liberatusque miles, sed non prorsùs. Quoties enim jacebat aliquandiù supino corpore, recurrebat insultus Epilepticus; nec discutiebatur, nisi erigeretur ægrotantis truncus, caputque antrorsum flecteretur. Sic miseram traxit vitam. Aperto post ejus obitum capite, repertus est ad partem ossis internam globus plumbeus, mobilis, & duram meningem comprimens, cùm caput reclinaretur.

Vivit adhuc mercator Monspelienſis, circiter quadragenarius, qui quoties vel equitatione vel actu venereo corpus exercet, infestatur insultu Epileptico. Huic notabiliter depressa est anterior cranii pars ex malè curatâ ossis Coronalis fracturâ. Iidem observantur in-

fultus in lue venereâ, quæ internis cranii tumoribus stipatur, & in fracturis cranii à causâ externâ.

Quorsum hæc? ut intelligatur inæqualiter inferciri cerebrum in omni affectu Epileptico. Quoties enim, ex abusu sex rerum non naturalium, sanguis præternaturam crassus vel ultramodùm rarescens varicosa glandularum in cerebro dispersarum vasa, aut earum anevrismata nimiùm replet; quoties ultramodùm comprimitur dura meninx; sanguis non potest à cerebro revehi per venas, quâ proportione ad cerebrum advehitur per arterias; non possunt vasa illa turgida sanguinem vi suâ contractivâ propellere; sic subitò infercitur cerebrum. Quid succedit ab eo infartu? Interceptæ interiores cerebri fibræ vibrari nequeunt ab objectis externis; quia nervorum sensibus dicatorum succussiones nequeunt infartûs resistentiam vincere. Hinc sopiti sensus. Et quia non nisi subsultim potest sanguis per cerebri substantiam fluere propter objectos obices, pulsus arteriarum erit per cerebrum inordinatus, hîc interruptus, illîc subsiliens, hinc & fibræ cerebri inordinatè vibratæ, & spiritus ad partes corporis musculosas inordinatè propulsi. Unde spasmus aut motus spasmodici.

Per se discutitur paroxysmus Epilepticus, cùm restagnans in cerebro sanguis ab eo propellitur qui de novo appulit; tùnc eo sunt tono ac robore exigui rami venarum & arte-

riarum per ambitum infartûs perreptantes, ut ab accedente identidem sanguine magis dilatari ac fortiûs contrahi possint. Sic singula vasa pedetentim liberantur ab infartu; factâ videlicet infercientis sanguinis spontaneâ derivatione ad vasa vicina. Haud secus ac observatur in Erysipelate particulari, quod serpit à parte in partem, ac tandem penitûs dissipatur, mutato sanguinis cursu. Similiter Epilepticus cerebri infartus, cùm varius sit, & inæqualis, sensim discutitur, modò citiùs, modò tardiùs, pro vario appellentis sanguinis impetu & vasorum firmitate; nec recurrit paroxysmus, nisi novus restagnantis sanguinis factus fuerit infartus.

Definiatur ergo Epilepsia; *Morbus organicus in eâ cerebri angustiâ inæquali, cujus ratione læduntur sensus, & musculi convelluntur.* Sanguis inæqualiter per cerebrum distributus proxima est hujus morbi causa. Varices & aneurismata cerebri, cranii depressio, compressio meningum, aliaque hujusmodi incommoda, sunt causæ conjunctæ, &, ut vulgo dicitur, sine quibus Epilepsia non fieret. Remotæ & evidentes causæ, ex abusu sex rerum non naturalium. Ab insolatione atque calidiori tempestate & acriùs vibrantur solidæ humani corporis partes, & liquida ultramodùm exagitantur; unde ad infartum disponuntur humores. Hi & acriori frigore torpescunt, & sic exiliora possunt obstruere vasa. Si cibus & potus coctionem læ-

serint, variis poterunt vitiare sanguinem modis, quibus Epilepsia procreatur. Irritamenta sunt insultuum Epilepticorum, immodica exercitia, veneris æstus; & ex adverso torpescens otium. Ex somnis diuturnioribus labascit & fatiscit cerebrum; ex vigiliis immodicis præter solitùm distenditur. Excretorum excessu subsident vasa, etiam cerebri; excessu retentorum ingurgitantur quoque cerebri vasa. Vehementioribus animi preturbationibus exagitarur cerebrum cùm toto corpore, concutitur intercitur. Ita repentinus pavor pueros sæpe reddit Epilepticos, acrior ira mulieres, assidua mentis contentio viros. Diuturnus quoque dolor potest omnes in *sacrum hunc morbum* perducere; cerebrum enim omni doloris genere conturbatur. Non concurrerent ad procreandam Epilepsiam, potiùs quàm alios morbos hujuscemodi causæ singulæ, nisi cerebrum jam foret ad eam dispositum. Vitiosa hæc dispositio consistit in vasorum cerebri, aut inæquali robore, aut debilitate. Robustiora cerebri vasa inordinatè impellunt prætervectum sanguinem, unde ingurgitantur debiliora. Hinc mole majus, & mollioris substantiæ, puerorum cerebrum, si creverit inordinatè, ad Epilepsiam pronum est. Et *Puerilis* nomen traxit hic morbus, quod in eum sint pueri proniores. Interdum Epileptica dispositio ingenita est, & hæreditaria; adventitia sæpius est.

DIAGNOSIS.

Perfecta dicitur Epilepsia, cùm sensus penitùs abolentur, & membra fortiter convelluntur. Imperfecta, cùm minùs graves comitantur convulsiones, & non nisi umbra quædam sensûs apparet. Dividitur quoque in Jdiopathicam & Sympathicam. Si Epilepticus capitis dolore, vertigine, aurium tinnitu, ante vel post paroxysmum afficiatur, illæsas verò habeat partes capiti subjectas, is laborare dicitur morbo Idiopathico; Sympathico verò, si nullo extra paroxysmum capitis dolore tentatus, & organis benè se habentibus, aliquam in partibus capiti subjectis molestiam sentiat, percipiatque ante paroxysmum veluti auram frigidam ab extremis partibus ad caput serpere, aut si paroxysmum præcesserint nausea, vomitus, ructus, intestinorum borborygmi, abdominis intumescentia, & id genus alia. Cuncta hæc fovent Epilepsiam, quatenùs sunt semper causæ morbi remotæ; sic ossium caries in pede, læsa coctio ventriculi, mensium suppressiones, & viscerum abdominis obstructiones, quæ Epilepsiam antecedunt, remotè concurrunt ad Sympathicam Epilepsiam; prout enim sanguinem pravâ qualitate inficiunt aut ejus motum interturbant, dispositum jam cerebrum infercitur. Epilepsiam Sympathicam, non minùs quam Jdiopathicam, semper comitantur spasmi vel motus

spasmodici, tum & sensuum abolitio vel insignis imminutio. Id certè non fieret, nisi morbus hic *sacer* in sacrâ Palladis arce perpetuam sedem haberet. Cùm sine sensuum læsione musculi constanter convelluntur & rigida sunt membra, immotaque ut in Tetano, Emprostotono; & Opistotono, tunc morbi illi dicuntur spasmi sive convulsiones; cùm verò alternatim moventur membra præternaturam, ut sæpe fit ex difficili puerorum dentitione, variolarum eruptione; & similibus; motus illi audiunt spasmodici sive convulsivi; & impropriè Epileptici; nisi sensus sopiantur. Cùm sensus abolentur vel imminuuntur citra convulsiones, Epilepsia non est; sed Apoplexia vel Catalepsis. Est Apoplexia si partes omnes resolutæ & facilè ab adstantibus mobiles, semel elevatæ proprio ponderc desidant. Catalepsis verò, si flexilia membra quemlibet situm facilè suscipiant; susceptumque retineant. Epilepticus discrepat ab Apoplectico, affectibus convulsivis. Hoc est in utroque morbo commune; quod cerebrum sit notabiliter angustatum, fluantque mechanicè & ordinatè spiritus animales ad cor & musculos respirationi ac deglutitioni dicatos. Non convelluntur in Apoplexiâ musculi, quòd vasa cerebri sint æqualiter undequaque angustata; unde nec fieri potest inordinatus spirituum influxus sicut in Epilepsiâ, in quâ cerebrum est inæqualiter sanguine infartum. Observati sunt Epileptici,

qui solo maxillæ spasmo distinguerentur ab Apoplecticis. Eos non semper ab Apoplecticis distingues per Epilepticam oris spumam, ut vulgò creditur: non spumescunt enim Epileptici, nisi cùm buccinatores musculi, lingua, & maxilla simul convelluntur. Copiosa tunc in oris cavum eructatur saliva, quæ à rapidè prætervecto & collisо inter dentes & linguam aëre ita quatitur, & à commisto aëre intumescit, ut in albam prorsùs ac veluti saponaceam abeat spumam, imò & cruentam, si dentes linguam compressione nimiâ sauciarint. Apoplexia semper post se relinquit Paralysim particularem, nec periodicè recurrit. Recurrit Epilepsia, & est semper immunis ab omni affectu Paralytico. In Apoplexia laxantur nervi. In Epilepsia non laxantur.

Cognito ex antè dictis morbo, proxima illius causa item erit cognita. Sic autem venaberis causas illius tùm externas, & evidentes, tùm internas & abditas. Innotescunt evidentes ex ægri vel adstantium relatu; & hæ conducunt ad abditarum diagnôsim. Si extra paroxysmum tentetur æger subito idemtidem pavore, aut tristitiâ; si otiosam ducat vitam, somnolentam, torpidam; si cum molestent acidæ ventriculi cruditates, cum temperamento melancholico vel pituitoso; adsitque in paroxysmo pallida facies, pulsus parvus, extremorum frigiditas, frigidus sudor, involuntariæ frigidæque ejectiones, & similia; tunc repetatur ab inspissato ac lento sanguine ab-

dita Epilepsiæ causa. Sin autem extra paroxysmum in Epileptico eluceant subita iracundiæ vel hilaritatis intervalla, obtigerint vigiliæ, venus effrenis, exercitia immodica, tùm & nidorosæ ventriculi cruditates, temperamentum sanguineum, aut bilioſum; si adsit paroxysmi tempore facies rubicunda, calor intensior naturali, pulsus plenus, aliaque congenera; tunc à sanguine ultramodùm rarescente morbus *herculeus* fovebitur.

PROGNOSIS.

Epileptici pueri ait Hyppocrates Aph. 45. sect. 2. *mutationibus, ætatis maximè, & regionum, & victûs, liberantur.* Et Aph. 7. sect. 5. *quibus Epilepsiæ fiunt ante pubertatem, mutationem recipiunt; quibus verò post vicesimum quintum annum ferè commoriuntur.* Increscere usque ad 25. annum puerorum corpora notum est. Ideo autem increscunt, quòd mollia eorum vasa facilè distenduntur & extenduntur. Hinc varices & anevrismata, quibus eorum obsidetur cerebrum in Epilepsiâ, discuti possunt & aboleri. Pone vàsa quædam cerebri præternaturam dilatata in pueris, dum proxima sensim increscent ac dilatabuntur ex humorum affluxu debitè celebrato, fiet tandem ut naturalis ordo vasorum restituatur, restitutâ nempe naturali ac respectivâ vasorum præter naturam dilatatorum diametro; non secus ac in puerorum Rachitide, quæ per se tandem aboletur. In Rachi-

tide partes quædam ossium præternaturam tument, aliæ sunt illæsæ ; dùm verò magis crescunt illæsæ, & minûs quæ læsæ sunt, restituitur tandem ossium figura. Quod quidem non obtinet post naturale corporis incrementum ; tunc enim quæ superfuerunt aut de novo generantur in cerebro varices aut anevrismata, qui superfuerunt aut de novo creantur in ossibus tumores nequeunt evanescere ob contextum firmiorem. Potest ergo vinci conjuncta & inrerna Epilepsiæ causa ad annum ætatis vicesimum quintum ; ultrà non potest. Quâlibet ætate potest, si fuerit externa & tractabilis, ut ostendit historia mulieris superiùs tradita. Faciliùs debellatur Epilepsia, quæ à depressione cranii inducta est, quæ à tractabili ossium carie, quæ à viru venereo ; difficiliùs quæ ab aliis causis, & quæ hæreditaria est. Faciliùs quoque recens, quàm inveterata, imperfecta quàm perfecta ; sympathica, quàm idiopathica. Perfecta interdum desinit in Apoplexiam deuteropathicam & lethalem.

CURATIO.

Duplex instituí solet Epilepsiæ curatio, alia in paroxysmo, extra paroxysmum alia. Insultus Epilepticus si levis fuerit, si brevis esse soleat, si absque periculo sua percurrat tempora, tametsi longiùs protrahatur ; tunc æger relinquatur jacens. Caveatur dumtaxat ne lædantur ejus membra, si quæ fuerint motibus

convulsivis agitata; impingendo in ambientia corpora dura. Hujusmodi paroxysmi plerumque per se discutiuntur, & ita nullâ curatione indigent. Sed si diutiùs protrahantur, si metuatur ne verti possint in lethalem Apoplexiam; tunc variis enitendum est auxiliis, ut insultus discutiatur. Hic si à sanguine ultramodùm rarescente foveatur, bis, ter, aut quater, pro ægri viribus, tundatur vena, primùm cubiti, dein malleoli; mox exhibeantur Emetica atque Cathartica. Contrà verò, si ab inspissato sanguine foveatur gravis ille insultus, ne secato venam, periculum enim est; sed illicò ad Emeticum confugito, præsertim si morbum foveant crapula, ebrietas, & acidæ ventriculi cruditates. Emetica, si præscribantur oportunè, imminentem prævertent Apoplexiam, insultum Epilepticum discutient, nec tamen tollent Epilepsiam; redeunt enim paroxysmi vel levi datâ occasione, nimirum donec conjuncta Epilepsiæ causa penitùs arte debellata fuerit vel naturaliter discussa. Hæc extra paroxysmum debellabitur ope Chirurgi, si sit depressum ab inflicto vulnere cranium, si adsit tumor externus, vel tractabilis ossium caries. Restituantur ergo partes depressæ, tumentes aperiantur, putrefactæ amputentur aut conburantur. Et si quæ sint infectæ viru venereo, Mercurialibus referentur. Sin conjuncta Epilepsiæ causa in ipso lateat cerebro, quod plerumque ante pubertatem accidit, tunc frustrà erunt medicamenta, non modò quæ Cephalica dicuntur, verùm

& quæ creduntur magis ad Epilepsiam specifica. Hoc unum erit officium Medici, ut occasionales morbi tam pertinacis causas cautè vitari jubeat, & frequentes insultus Epilepticos remoretur. Prius petatur ex Hygienes præceptis; posteriùs ex Therapeuticis. Sit igitur aër moderatè calidus & purus; si aëris intemperies morbum foveat. Tempestivè ac moderatè corpus exerceat Epilepticus; cui vita sedentaria vel exercitationes immodicæ insultus procreare solent. Non sit somnus diuturnus, nec excedant modum vigiliæ; in Epilepticis ultramodùm dormientibus, vel nimiùm vigilantibus. Hæc vehementiora vitentur animi pathemata, quorum ratione accersitur insultus Epilepticus. Cùm fovetur affectus à cruditatibus primarum viarum tùm acidis, tùm nidorosis; cibi sint facilis coctionis, potusque sit temperatus, parcior sit cæna, hanc inter & somnum una & altera ad minimum intercedat hora. Saburra præternaturàm congesta expurgetur idemtidem ano & cato. Hoc tutò, citò, & jucundè præstabis usu debito Mercurii vitæ seu pulveris Algaroti ad justam dosim. Is est Emeticum Antimoniale, quod absque noxâ præscribi potest à granis IV. ad VI. vel VIII. Simplex illud Medicamentum tàm per superiora quàm per inferiora humorum saburram expurgat. Unde potest curabiles insultus Epilepticos omnes discutere, ac nonnullos retardare.

ERGO Epilepsiæ Mercurius Vitæ.

DISPUTATURI

Professores Regii.

R. D. FRANCISCUS CHICOYNEAU, *Cancellarius.*
R. D. JOANNES CHASTELAIN, *Decanus.*
R. D. JOANNES BEZAC.
R. D. PETRUS CHIRAC.
R. D. PETRUS MAGNOL.
R. D. PETRUS RIDEUX.
R. D. ANTONIUS MAGNOL, *Patris Coadjutor.*
R. D. JACOBUS CHASTELAIN *Patris Coadjutor.*

Doctores Aggregati.

R. D. JOANNES HENRICUS HAGUENOT.
R. D. HENRICUS HAGUENOT, *Patris Coadjutor.*

Doctores Ordinarii.

M. JACOBUS LAZERME.
M. ANTONIUS FIZES.
M. BARTHOLOMÆUS PASCAL.
M. FRANCISCUS VINCENTIUS DOUARD